

QUAESTIO III

Utrum ista duo stent simul, scilicet quod voluntas moveatur ab obiecto effective et quod ipsa moveat alias potentias quantum ad exercitium actus.

Ad secundum sic proceditur et arguitur quod ista duo non possint simul stare, scilicet quod voluntas moveatur ab obiecto et quod ipsa moveat alias potentias ad exercitium actus; quia si hoc ponatur, sequitur quod idem sit causa et effectus respectu eiusdem; hoc est impossibile; ergo etc.

Impossibilitas consequentis patet. Consequentiam probo; quia si voluntas movet alias potentias ad exercitium actus, illud exercitium est effectus actus volendi quo voluntas vult illa exercitia, quia per tale velle causat illa exercitia; illa etiam exercitia, cum sint obiectum ipsius actus volendi, erunt causa ipsius actus volendi, si voluntas moveatur ab obiecto; ergo si voluntas movetur ab obiecto et moveat alias potentias ad exercitium actus, sequitur quod idem et respectu eiusdem erit causa et effectus et in eodem genere causae, scilicet in genere causae efficientis.

Praeterea. Specialiter probatur quod voluntas non possit movere intellectum ad exercitium actus, quia impossibile est quod idem et secundum idem re sit movens et motum; quia differentia secundum rationem non sufficit, cum ens secundum rationem nec moveat nec moveatur; sed voluntas et intellectus sunt idem re; ergo etc. Maior patet. Minor probatur; quia distinctio potentiarum quae patiuntur a suis obiectis est secundum distinctionem obiectorum; sed voluntas et intellectus sunt potentiae passivae ab obiectis; ergo distinctio voluntatis et intellectus est secundum distinctionem suorum obiectorum; sed obiecta eorum non differunt re, cum verum et bonum vel ens et bonum non differant nisi secundum rationem. Constat etiam quod illud idem quod apprehenditur ab intellectu sub ratione veri appetitur a voluntate sub ratione boni; ergo intellectus et voluntas sunt unum re.

Contra. Illa potentia sub cuius obiecto continentur obiecta aliarum potentiarum, sicut ea quae sunt ad finem continentur sub fine, movet alias potentias quantum ad exercitium actus, sicut ars quae considerat de fine imperat artibus quae considerant de his quae sunt ad finem; sed voluntas respectu aliarum potentiarum est talis, cum eius obiectum sit finis vel ¹ bonum et finis omnium aliorum; ergo etc.

Praeterea. Arguitur quod possit movere intellectum quantum ad exercitium actus; quia illa quae differunt re unum eorum potest movere alterum; sed voluntas et intellectus differunt re; ergo etc. Probatio minoris; quia obiecta earum scilicet verum et bonum sunt diversa re; ergo et ipsae. Quod autem verum et bonum quae sunt obiecta earum differant re, probatur; quia

differentia attributorum in Deo secundum rationem accipitur per comparisonem ad diversa re in creaturis; sed verum et bonum sunt quaedam attributa divina differentia in Deo secundum rationem; ergo oportet quod ista differentia veri et boni quae est in Deo secundum rationem accipiat per comparisonem ad diversitatem realem inter ista in creaturis; et sic verum et bonum differunt realiter in creaturis.

Ulterius videtur ex hoc quod verum et bonum non formaliter conveniant Deo, quia quod dicitur de aliquo ex habitudine ad alterum non convenit sibi formaliter sicut esse sanum dicitur de urina in habitudine ad animal in quo est vera sanitas formaliter, et constat quod sanitas non est in urina formaliter; ergo si verum et bonum dicuntur de Deo ex habitudine ad ista reperta in creaturis, verum et bonum in Deo non sunt formaliter. Ex his etiam potest ostendi idem de accidente, quod scilicet non est ens formaliter, quia dicitur ens ex habitudine ad substantiam et sic non dicit aliquod ens formaliter.

Respondeo. In ista quaestione plures articuli in argumentis implicantur. Primo tamen ad principalem quaestionem dicendum est, quomodo scilicet ista duo stent quod voluntas moveatur ab obiecto [et] quod ipsa moveat alias potentias quantum ad exercitium actus [fol. 243 R^a]. Supposito ergo quod voluntas moveat alias potentias ad exercitium actus in quantum impellit eas vel aliquid aliud per quod obiectum applicatur ad movendum potentias, intendo primo ostendere quomodo illa duo stant simul, et postea ponam difficultates quae videntur esse contra positionem ponendam et respondebo.

Quantum ergo ad primum sciendum quod obiectum voluntatis habet triplex esse. Primo habet esse in sua causa remota quae nata est movere intellectum ad apprehendendum aliquid scibile ut bonum ad assequendum, sicut considerata conditione hominis et considerato quid est sanitas, istae res natae sunt movere intellectum ad apprehendendum quod bonum esset non habenti sanitatem assequi sanitatem. Secundo habet esse in intellectu sicut cognitum in cognoscente et ad hoc sequitur acceptatio voluntatis. Tertio habet esse in propria existentia in re extra, sicut quando iam facta est sanitas in actu. Et primum esse est causa secundi, et secundum causa tertii; nam res prout nata est manifestare per modum obiecti aliquid agendum esse bonum est causa cognitionis quam habet intellectus de re aliqua agibili in futuro agenda; cognitio etiam et volitio per quas aliquis iudicat aliquid faciendum et vult facere est causa illius rei in sua existentia reali; nam homo per intellectum et voluntatem est causa eorum quae aguntur per ipsum in quantum homo est.

Similiter exercitium actus quo impelluntur potentiae ad exeundum in actum modo quo dictum est habet similiter istud triplex esse, et secundum quod reducet in aliquo nato movere intellectum ad apprehendendum quod

bonum est exercere actum movet intellectum ad hanc apprehensionem et voluntatem mediante intellectu ad appetendum illud exercitium. Sed illud idem exercitium secundum quod est in existentia reali causatur a praedictis intellectione et volitione, secundum quod per intellectum et voluntatem aliquis movet vel pedem vel oculum vel aliquid tale. Et sic non est inconveniens quod voluntas moveat potentias ad exercitium actus et quod ipsa exercitia quae sunt obiecta voluntatis prout relucet in intellectu vel in aliqua re nata movere intellectum praedicto modo moveant voluntatem. Nec ex hoc sequitur quod idem sit causa et effectus, ut patet ex deductione praedicta; quia ista tria inter se sunt diversa, scilicet cognitio intellectus sive res nata movere intellectum et volitio et exercitium actus in exteriori existentia causatum. Nec hoc solum convenit voluntati quod sit scilicet causa sui obiecti, sed hoc etiam convenit intellectui practico, quia res operabilis per intellectum practicum quae est eius obiectum non prout est in se sed prout relucet in aliquo praeeistente movet intellectum ad apprehendendum, et ipsa secundum suam existentiam realem est effectus intellectus practici.

Et per hoc patet solutio ad primam rationem quae fit ad oppositum, quia obiectum quod est exercitium actus non secundum idem movet voluntatem et est effectus voluntatis.

Contra autem praedictam positionem posset obiici sic; quia res secundum esse quod habet in intellectu non est obiectum voluntatis; alioquin voluntas non appeteret nisi intelligere ipsas res et non res intellectas. Ergo si obiectum movet voluntatem, oportet quod moveat ipsam secundum existentiam quam habet in re extra. Cum ergo secundum illam existentiam sit effectus voluntatis sequitur quod idem et secundum idem sit causa et effectus eiusdem.

Item. Secundo potest sic obiici; quia exercitium actus intelligendi vel cognoscendi non est aliud quam esse cognitum. Si ergo obiectum voluntatis prout est in esse cognito movet voluntatem, sequitur quod quantum ad exercitium intellectus obiectum voluntatis sit movens voluntatem et effectus eius.

Si dicatur quod non secundum idem in speciali et in numero, imo quod cognitio qua iudicatum est bonum esse exercere actum intelligendi est alia ab illa cognitione cuius exercitium iudicatur esse bonum, contra: non solum homo movet se per voluntatem ad aliquid cognoscendum de novo, imo etiam in cognitione iam adepta se tenet; tunc ergo ad volendum se in illa cognitione, quaero: aut movetur per aliam [fol. 243 R] cognitionem aut per istam. Non per aliam, quia alia cognitio non est; nec per istam, quia tunc esset idem causa et effectus eiusdem; ergo in tali casu obiectum voluntatis prout est in esse cognito non movet voluntatem.

Ad primum istorum dicendum quod obiecta voluntatis et intellectus habent duplicem habitudinem ad dictas potentias; unam sicut movens ad motum, et aliam sicut terminus operationum ipsarum potentiarum prout scilicet intelligere et velle terminantur ad aliquod intellectum et amatum. Modo, quando dicitur quod obiecta dictarum potentiarum movent dictas potentias, non intelligitur quod quantum ad idem secundum quod sunt formaliter termini dictorum actuum prout in se est moveant, sed vel quantum ad illud prout est in se, vel quantum ad illud prout resplendet in aliquo nato movere ad eius cognitionem.

Ad formam ergo argumenti dicendum quod res diligibilis, licet non sit obiectum voluntatis formaliter quantum ad esse quod habet in intellectu, accipiendo obiectum voluntatis prout est terminus et idem quod formaliter appetitur, tamen prout obiectum habet rationem moventis, res quantum ad esse quod habet in intellectu vel quantum ad esse quod habet in aliquo quod natum est movere intellectum ad apprehendendum illam rem assequi esse bonum est obiectum voluntatis semper; illud enim quidquid sit quod natum est movere intellectum ad apprehendendum quod aliquid assequi sit bonum est motivum per se voluntatis ad appetendum illud.

Ad secundum dicendum quod illa solutio est bona quantum ad exercitium intelligendi ad quod de novo se movet homo per voluntatem: alia est cognitio qua aliquis iudicat quod considerare naturalia sit bonum et cognitio qua postea considerat aliqua naturalia.

Ad tertium dicendum quod etiam cognitio qua aliquis iudicat quod bonum est quod se teneat in consideratione aliqua est alia ab illa consideratione in qua se tenet, et quod velit se tenere dum considerat fuit causatum ab obiecto proposito secundum aliam cognitionem priorem in cuius praecedentis motionis virtute manet dicta volitio, et manet aliquid in viribus praesentantibus obiectum quod naturaliter est natum, illam volitionem conservare. Et sic patet ad primam quaestionem.

Ad secundam quaestionem quam quaerit secunda ratio, scilicet utrum intellectus et voluntas inter se vel obiecta earum inter se differant re, dicendum quod, supponendo quod voluntas et intellectus differant re secundum quod communiter tenetur ab omnibus doctoribus, si homo per voluntatem movet se ad exercitium actus intelligendi, non sequitur quod moveat et moveatur secundum idem re et per essentiam, licet sequatur quod id secundum quod movet et id secundum quod movetur sint idem subiecto, si ponatur quod voluntas immediate movet intellectum. Dato etiam quod potentia volitiva et potentia intellectiva essent idem re per essentiam, adhuc ponendo quod homo per voluntatem movet intellectum, non sequitur quod idem et secundum idem sit movens et motum; nam quando dicitur quod homo movet intellectum vel aliquid aliud per voluntatem, non accipitur ibi voluntas pro

"trace
back;
cf.
Q 8.16 p.151
Q 10.3 p.375

veritas est bonitas, sed non e converso ; et sic secundum se et absolute accepta sunt idem re sicut superius et inferius et differunt ratione ; et eorum differentia secundum rationem potest reduci ad aliqualem differentiam realem in quantum unum eorum potest accipi pro aliquo quod realiter differt ab alio, quia bonitas potest accipi pro aliqua entitate quae non est formaliter veritas. Si autem ponatur quod veritas est entitas cuiuslibet rei ut est nata adaequare intellectum, adhuc differentia secundum rationem veritatis et bonitatis potest reduci ad aliquam differentiam realem in quantum istae diversae rationes conveniunt illi rei in habitudine ad diversas potentias, scilicet intellectum et voluntatem. Differentia etiam quae est inter ens et bonum quae est solum secundum rationem intelligendi potest reduci ad differentiam realem, non sic quod sit aliqua entitas quae non sit aliquo modo bonitas et e converso, sed quia una et eadem res potest esse entitas alicuius cuius non est bonitas, sicut calor intensus in homine est quaedam entitas in homine et secundum illum dicitur homo ens tale, puta homo calidus, non tamen dicitur secundum idem homo bene se habere, imo male, nec est bonitas hominis nisi forte secundum materiam et quantitatem quibus talis calor non repugnat. Quando ergo dicitur quod ea quae differunt ratione in Deo habent quod differant ratione in ipso ex habitudine ad aliqua diversa in creaturis, concedatur sic, scilicet quod differentia secundum rationem in divinis requirit aliquam differentiam secundum rem in creaturis vel mediate vel immediate. Licet ergo illa in creaturis quae immediate secundum rationes suas correspondent vero et bono, vel enti et bono in divinis quae sunt scilicet verum et bonum vel ens et bonum in creaturis non differant re, tamen differentia secundum rationem istorum in creaturis puta entis et boni reducitur ad aliquam diversitatem realem in creaturis modo quo ostensum est, et hoc sufficit ad hoc quod bonum et verum, vel ens et bonum possint differre secundum rationem et in divinis et in creaturis. Et sic patet ad secundam rationem in oppositum et ad id quod quaeritur per ipsam.

Ad aliud quod tertia ² ratio quaerit, scilicet utrum esse bonum et esse verum vel esse ens et esse bonum convenient formaliter Deo, dicendum quod differt quaerere utrum ista, scilicet esse bonum vel esse verum vel esse ens, dicantur formaliter de Deo, et quaerere utrum differentia istorum secundum rationem dicatur formaliter de Deo. Nam quantum ad primum intellectum quaestionis, constat quod ista formaliter dicuntur de Deo, scilicet quod est bonus, verus et ens. Ad cuius evidentiam sciendum quod tunc aliqua dicuntur praedicari formaliter de aliquo, quando illud denominativum descendit ab aliqua forma existente in eo formaliter sive per inhaerentiam, sicut albedo est in lapide, sive per identitatem essentialem, sicut deitas est in Deo. Nunc autem ita est quod bonitas a qua aliquid dicitur bonum et entitas a qua aliquid dicitur ens formaliter sunt in Deo per identitatem essentialem,

nam sua essentia est bonitas et entitas. Dicitur autem aliquid denominare aliquid non formaliter, sed denominatione extrinseca, quando forma a qua descendit illud denominativum non est in eo quod denominatur, [fol. 244 R^a] sed in aliquo alio ad quod habet habitudinem, sicut urina denominatur sana, cum tamen sanitas non sit in ea formaliter, sed in animali ad quam urina habet habitudinem ostendentis, et ideo denominatur ab illa extrinsece. Sic autem non se habet entitas vel bonitas Dei ad ipsum, imo intrinsece et formaliter, ut dictum est.

Si autem quaeratur utrum ipsa differentia rationis secundum quam dicitur Deus ut bonus differens a se ratione ut est ens vel verus, praedicetur de eo formaliter vel denominatione extrinseca, videtur mihi quod non formaliter, sed magis praedicatione extrinseca praedicatur de ipso ; quia differentia illa nihil ponit formaliter existens in Deo, imo sic differre convenit essentiae in quantum cointellecta cum aliquibus pluribus diversis a se. Modo, denominatio qua ³ res intellecta denominatur intellecta vel sub diversis rationibus intellecta est denominatio extrinseca ; quia intelligere quo aliquid denominatur intellectum non est in re intellecta in quantum huiusmodi, sed tantum in intelligente ; et similiter modus quo aliquid intelligitur vel abstracte vel secundum diversas rationes, prout multis videtur, non dicit aliquid existens in aliquo formaliter sed solummodo obiective ; unde separatio hominis a socrate et aliis non dicit aliquid existens formaliter in aliqua re, sed tantum est obiective in intellectu apprehendente hominem, non apprehenso socrate. Vel si talis modus ponit aliquid formaliter in aliquo, hoc non est in re intellecta, sed in intelligente. Unde denominatio qua Deus dicitur differens ratione est denominatio extrinseca.

Et si dicatur quod in Deo res intellecta et intelligens sunt idem, et sic videbitur quod id quod est in intelligente sit formaliter in intellectu, dico quod hoc accidit, accipiendo accidere quod est praeter rationem rei, quia istud non est in ea in quantum est intellecta, sed in quantum est intelligens. Si tamen dicatur esse in aliquo formaliter, unde essentiam Dei esse intellectam et esse differentem ratione, est denominatio extrinseca secundum nostrum modum intelligendi, quantumcumque secundum rem sit ibi idem intelligens et intellectum.

Ex hoc faciliter patet ad id quod obiicitur ; nam quando dicitur in minori quod Deus dicitur bonus et ens ex habitudine ad creaturas, falsum assumitur, nam esse bonum vel ens non convenit Deo ex habitudine ad creaturas ; sed esse differens ratione secundum ista convenit Deo ex diversitate creaturarum cointellecta ; et ideo non potest concludi quod esse bonum et ens non praedicentur de Deo formaliter, sed tantum potest concludi quod esse differens secundum rationem per ista non praedicatur de Deo formaliter, sed denominatione extrinseca.

Quod autem ultimo adducitur de accidente quod non potest dici ens

potentia volitiva, sed pro actu volendi, secundum quod aliquis factus in actu volendi finem movet se ad considerandum ea quae sunt ad finem, et per velle per quod vult ire, movet se ad eundem. Cum ergo actus volendi non sit idem realiter et essentialiter cum potentia intellectiva secundum omnes, ponendo quod homo per voluntatem sic dictam moveat se ad intelligendum, non sequitur quod idem et secundum idem per essentiam sit movens et motum, licet sequatur quod idem secundum quod movet et idem secundum quod movetur sit idem subiecto, si immediate per voluntatem moveat intellectum; sed ponendo quod per tale velle immediate homo non movet intellectum, sed mediante motione facta in viribus sensitivis, puta in phantasia, quibusdam videtur quod adhuc in tali motione potest salvari quod idem secundum quod aliquid agit immediate et idem secundum quod patitur immediate aliquo modo differant subiecto, puta velle et potentia phantastica. Et sic patet quomodo non secundum idem movetur homo et movet quando movet se per voluntatem ad intelligendum sive ponantur potentia volitiva et intellectiva esse idem per essentiam, sive non.

Quomodo autem stet quod intellectus et voluntas sint diversae potentiae realiter [fol. 243 V^a] non obstante quod obiecta earum non differant nisi sola ratione, sciendum quod si esset sola differentia rationis, nulla reali differentia concomitante, talis differentia non sufficeret, ut videtur, ad distinguendum potentias realiter.

Ad evidentiam autem eius quomodo distinguuntur istae potentiae ad invicem et quaecumque aliae potentiae cognitivae, sciendum quod aliqua distinguuntur per aliquid quadrupliciter. Uno modo effective, sicut calefaciens et frigefaciens sunt distinguuntur calorem factum et frigus factum effective. Alio modo formaliter, et isto modo omnis forma seipsa distinguitur realiter ab alia, puta albedo seipsa distinguitur ab omni non albedine; composita autem distinguuntur isto modo per suas formas. Tertio modo distinguitur aliquid per aliqua materialiter, sicut illa quae distinguuntur per diversa subiecta in quibus sunt. Quarto modo finaliter, sicut causa distinguens per modum causae finalis serram a dolabra est sic vel sic secare quia ad hoc habent diversas formas ut diversas sectiones faciant.

Modo, potentiae praedictae, puta intellectiva et volitiva, et simile est de aliis, distinguuntur effective non ab obiectis, licet enim obiecta sint causa effectiva actus earum et moveant eas ad actus suos, non tamen sunt causa effectiva ipsarum potentiarum, unde effective distinguuntur a generante qui causat potentias tales una cum natura cuius sunt. Formaliter autem, cum sint quaedam formae, puta qualitates, distinguuntur seipsis a se invicem et a quocumque alio. Materialiter autem non distinguuntur quasi existentes in diversis subiectis, cum sint in eodem subiecto, licet forte ratio receptiva earum distinguatur, ut scilicet una earum sit immediate in essentia animae et alia mediante illa. Finaliter autem et sicut per causam finalem habent.

distingui per suos actus et per sua obiecta; nam sicut communiter dicitur, finis alicuius dupliciter dicitur: scilicet res quam quis assequitur et assecutio ipsius rei, sicut finis avari qui est res est pecunia, finis autem qui est assecutio est possessio. Finis ergo dictarum potentiarum sicut assecutio sunt operationes earum; finis autem qui est res quae attingitur sunt obiecta ad quae attinguntur mediantibus suis operationibus. Quia ergo operationes praedictarum potentiarum sunt diversae realiter et diversarum rationum, ita quod requirunt quod mobile ad eas diversimode disponatur ad hoc quod moveatur ad eas, ideo oportet dictas potentias ponere diversas per quas anima movetur ad intelligendum et volendum. Et dato quod obiectum quod causat istos diversos actus sit unum re, quia tamen causa aequivoca una re existens potest esse causa diversorum effectuum diversarum rationum et diversarum entitatum realiter, ideo non obstante unitate reali obiecti, propter hoc quod obiectum continet virtute diversos actus realiter requirentes diversas dispositiones in mobili, potest esse quod diversitas realis illarum potentiarum stet cum sola differentia rationis in obiecto, quam tamen concomitatur diversitas realis in effectu; sicut si poneretur quod forma coeli requireret materiam alterius rationis a materia elementi, Deus in quantum est factivus formae coeli et formae elementi requireret diversa subiecta realiter in quibus haec reciperentur, licet Deus in quantum est factivus coeli et in quantum est factivus elementi non differat nisi sola ratione; et sic obiectum, licet unum realiter, exigit diversas potentias et in quantum facit diversos actus et in quantum est finis quae est res diversis actibus attingibilis.

Quando ergo dicitur quod obiectum voluntatis et intellectus, cum non differant nisi sola ratione, non potest causare diversitatem realem in potentiis, verum est quod si ita esset ibi differentia rationis, quod non concomitaretur eam aliqua differentia realis, nunc autem concomitatur eam praedicta differentia realis in effectibus. Et si dicatur quod non videtur quod unum re possit causare diversos effectus, dico quod falsum est in causis aequivocis; quia in eis unum re potest causare diversa realiter et formaliter, nec differentia rationis in eo est causa ne faciat diversa, ut puto, immo est quaedam [fol. 243 V^a] proprietas consequens ad faciendum diversa, quia faciens plura in eo quod tale non habet quod sit plura formaliter re vel ratione, ita quod pluralitas rei vel rationis sit similiter ratio agendi plura, licet habet quod sit plurefactivum. Et sic patet ad secundam rationem et ad id quod quaerebatur in ipsa ratione.

Prima ratio in oppositum concedenda est.

Ad illud autem quod quaeritur in secunda ratione ad oppositum, utrum scilicet verum et bonum, vel ens et bonum differant re in creaturis, si verum sit relatio formaliter existens in intellectu, tunc formaliter loquendo bonitas se habet in plus quam veritas, quia veritas est quaedam bonitas et omnis

formaliter, quia dicitur ens ex habitudine ad substantiam, dicendum quod, licet accidens non sit simpliciter ens et perfecte, sicut substantia formaliter, tamen est ens diminutum et quo aliquid habet esse tale, nam quodlibet accidens essentialiter est quaedam entitas et quaedam essentia.

Ad id autem quod adducitur in contrarium quod non potest dici ens formaliter quia dicitur ens ex ⁴ habitudine ad substantiam, dicendum quod aliquid dicitur esse tale ex habitudine ad alterum dupliciter. Uno modo, quia forma a qua fit denominatio est in aliquo ⁵ alio et non in illo quod denominatur, sicut urina dicitur sana ex habitudine ad animal in quo est sanitas a qua fit denominatio, et non in urina quae denominatur. Et similiter sol dicitur calidus a calore qui non est in eo, sed a calore quem efficit; est enim calidus virtualiter et effective. Et quod sic dicitur tale ex habitudine ad alterum non est tale formaliter, sed est tale effective vel indicative vel secundum aliquem alium modum. Et isto modo non dicitur accidens ens ex habitudine ad substantiam. Alio modo dicitur aliquid tale ex habitudine ad alterum, non quia forma a qua fit denominatio non sit in eo formaliter, sed quia illam formam existentem [fol. 244 R^b] in eo formaliter habet ab alio, sicut a causa, vel sicut a causa efficiente, sicut omnia dicuntur entia ex habitudine ad Deum, quia entitatem suam quae formaliter est in eis habent a Deo sicut a causa efficiente, vel etiam sicut a causa subiective sustentante sicut omne accidens habet suam entitatem qua formaliter est ens a subiecto ipsum subiective sustentante. Et quod dicitur tale ex habitudine ad alterum, non oportet quin sit tale formaliter; unde non oportet quin accidens sit ens formaliter, saltem ens diminutum. Et sic patet et ad rationes et ad quaestiones implicatas in eis.

¹ L : ad. — ² L : quinta. — ³ L : quo. — ⁴ L : in. — ⁵ L : illo.

QUAESTIO IV

Utrum dicere quod non potest esse meritum nisi idem et secundum idem primo et per se et immediate moveat seipsum vel reducat se in actum sit erroneum.

Ad tertium sic proceditur et arguitur quod dicere quod meritum non possit esse nisi idem directe et immediate et secundum idem reducat se de potentia in actum realem non sit erroneum; quia dicere contrarium haeresi pessimae non est erroneum; sed illud dictum est contrarium haeresi pessimae; ergo etc. Maior patet. Minor probatur; quia illud dictum est contrarium illi dicto quo dicitur quod voluntas in omni actu movetur ab obiecto

Les Philosophes Belges

Textes et Etudes

Collection publiée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain
sous la direction de Maurice De Wulf

TOME XIV

Le Quodlibet XV et trois Questions ordinaires de Godefroid de Fontaines

(TEXTE INÉDIT)

PAR


Dom Odon LOTTIN, O. S. B.

ET

Étude sur les manuscrits des Quodlibets

PAR

Jean HOFFMANS, Professeur à l'Université Coloniale
et Auguste PELZER, Scrittore à la Bibliothèque Vaticane



THE LIBRARY, ST. CHARLES SEMINARY, CARTHAGENA, CHINA

LOUVAIN

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE
2, PLACE CARDINAL MERCIER, 2

1937